

NUMMI DUO CASTRENSES

CÆSARIANORUM ALTER, VERO-
NÆ A VENETIS OBSESSORUM: ALTER MARCI
Antonij Columnæ, Cæsaris in Veronâ Præ-
fecti: cusi Anno Christi

1516.



VENETI, Noviodunensis fœderis certiores facti, ne ex pactis
conventis tantum pecuniâ persolvere cogerentur, vocato
cum suis Lautreccio, duobus Atheſim pontibus exercitum
traijciunt, & Veronam arctâ obsidione cingunt. Erat in
oppido M. Antonius Columna cum octingentis equitibus,
& quinquies mille peditibus Germanis, ac mille quingen-
tis Hispanis. Hi contra omnem oppugnantium vim, muros egregiè defen-
debant. Jam consumptus ferè in castris erat pulvis bellicus: & dum novus
adveheretur, accidit, uti excitato, ex rotarum collisione, igni octingenta
dolia cum ipsis carris & jumentis conflagrarent. Mocenicus Gallorum ne-
gligentiâ temerè ignem portantium id evenisse affirmat. Ea res incommo-
da Venetis, Veronensibus grata admodum fuit, quos jam annona deficere
cœperat, & murorum magna pars disiecta sollicitos fecerat. Cùm verò no-
vem hominum millia Maximiliani jussu ex agro Tirolensi conscripta, in
itinere esse, jamque Clusium deditione, Covolum vi capisse fama vulgasset,
Lautreccius, aut concepto, aut simulato metu, quod regem suum, pacem
quàm bellum malle, sciret, Villam Francam abiit, à quo relictî Veneti obsi-
dionem solverunt: Veronâ comiteatu, & rebus necessarijs alijs recreatâ. Ea
in re, & obsidione fortiter ferenda, commendatur Guilhelmi Rogendorff-
ij industria: cujus viri virtus & fides, magnis postea tempestatibus, sub Ca-
rolo Cæsare spectata est. Magna quoque M. Antonij Columnæ constantia